AUGUSTINUS

Admont, Mitte 12. Jh. Seite 170v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26830
Copyright: Admont, Benediktinerstift



nrōꝝ. qui sine fine uidebitur sine fastidio amabitur. sine fatigatione
laudabitur. Hoc minus. hic affectus. hic actus. profecto erit omnibus.
sicut ipsa uita ęterna communis. Cęterum qui futuri sunt pro meritis p̄miorꝝ
etiam gradus honorꝝ atq; gloriarum quis ē idoneus cogitare. quanto magis
dicere. qd tamen futuri sint non est ambigendum. atq; id etiam beata illa
ciuitas magnum in se bonum uidebit. qd nulli supiori ullus inferiori
inuidebit. sicut nunc non inuident archangelis angeli cęteri. tamquam nolit
esse unus quisq; qd non accepit quam uis sit pacatissimo cōcordię uinculo
ei qui accepit obstrictus. quam nec in corpore uult oculus esse. qui ē digitus.
cum membrum utrumq; contineat totius carnis pacata cōpago. Sic ita-
q; habebit donum alius alio minus. ut hoc quoq; donum habeat. nec
uelit amplius. Nec ideo liberum arbitrium non habebunt. quia pecca
ta eos delectare non poterunt. magis quippe erit liberum a delectatione
peccandi usq; ad delectationē non peccandi indeclinabilem liberatum.
Nam primum liberum arbitrium qd homini datum ē. quando primum
creatus ē rectus. potuit non peccare. s; potuit & peccare. hoc autem
nouissimo eo potentius erit quo peccare non poterit. Verum hoc quoq;
dei munere. non sue possibilitate naturę. Aliud est enim esse deum. aliud
participē dei. Deus natura peccare non potest. particeps uero dei ab illo
accipit ut peccare non possit. Seruandi autem gradus erant diuini
muneris. ut primum daretur liberum arbitrium quo peccare homo
posset. nouissimum quo peccare non posset. atq; illud ad comparandum
meritum hoc ad recipiendum meritum pertineret. S; quia peccauit ista natura
cum peccare potuit. Largiore gratia liberatur. ut ad eam perducatur libertatem
in qua peccare non possit. Sicut enim prima immortalitas fuit quam peccando
adam perdidit posse non mori. nouissimum erit non posse mori. ita primum
liberum arbitrium posse peccare nouissimum non posse peccare. Sic enim
erit inamissibilis uoluntas pietatis & equitatis. quomodo ē felicitatis.
Nam utiq; peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus. uoluntatem
uero felicitatis nec perdita felicitate perdidimus. Certe deus ipse numquid
quomodo peccare non potest. ideo liberum arbitrium habere negandus est.
Erit ergo illius ciuitatis & una in omnibus & inseparabilis in singulis uolun
tas libera ab omni malo liberata & impleta omni bono. fruens inde
ficienter omni iocunditate ęternorꝝ gauditorꝝ oblita ~~ut liberatori suo~~
~~non sit ingrata~~ culparum oblita penarum. nec ideo tamen suę liberationis
oblita. ut liberatori suo non sit ingrata. Quantum ergo attinet ad scien
tiam rationalem: memor etiam preteritorꝝ malorꝝ suorꝝ. quantum autem ad expe
rientis sensum prorsus immemor. Nam expertissimus medicus sicut arte